



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Scintillæ Ignatianæ, Sive Sancti Ignatii De Loyola, Societatis Jesu Fundatoris Apophthegmata Sacra

Hevenesi, Gábor

Coloniæ, 1715

VD18 10988289

16. Decembris. Malè credit Judex accusanti, nisi audito accusato hunc
reum inveniatur. S. Ignat. ibid.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50423](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50423)

tot natura conclusit repagulis, labiis, dentibus custodivit, ut rarò prodeat, ne saepe erret.

Linguae proximum natura cerebrum, rationis sedem, constituit; binos addidit in vigiliam oculos; nempe, ut nihil profert illa, nisi quod & prudentiae legibus conforme, & admodum circumspectum sit.

Heu me! quae non sermo unus inconfideratè fusus movit bella? concitavit incendia? volat irrevocabile verbum, & iacti instar teli multos vulnerat. Omnibus te periculis, fastidiis omnibus erues, si tacere didiceris.

Summus semper apud omnes silentio fuit honor; quantum silentii, tantum cuique fidei, & auctoritatis. Mirum nos tam prodigos ad locutionem, cum ea iusto frequentior omnem plerumque prodigat nostri aestimationem.

16. Decembris,

Malè credit iudex accusanti, nisi audito accusato hunc reum inveniat. S. Ignat. ibid.

Ne-

Nemo frequentius errat, quam qui facile credit: pensari audita, maxime, quæ alienæ famæ derogant, & fides iis tamdiu negari debet, donec palpari veritas possit.

Si accusasse sufficit, ut quis reus agatur, nemo innocens manebit; loquendi de aliis, & censurandi consuetudo ita late invaluit, ut nulla res majori opus habere examine videatur, quam delatio.

Mali fallere, boni falli possunt, neutris præpropere debetur fides. Nos ipsi, quam sæpe fallimur! quam pronum, ut in re, vel persona, lateat error? Facilior est tardæ, quam festinatæ credulitatis venia.

Reo nondum audito nihil certi statui potest: si data delatori una, servanda est aurium altera delato. Suus esse debet purgationi locus; in dubio favendum reo. Quibus delationis audire volupe est, delicias in quisquiliis quærunt.

17. Decembris.

*Inconsulto Deo aggrediendum est nihil. S.
Ignat. apud Ludo, Gonza.*

Hu-